

## §. 10.

Sed ne quis fortè excipiat, Apostolum ibi per uxorem Ecclesiam intelligere, nimirum, Episcopus non pluribus, sed uni præfetus sit Ecclesiæ, nec transeat ab unâ Ecclesiâ ad aliam, sed alligatus sit uni Ecclesiæ, sicut vir uxori; *Resþ.* manifestam esse textus depravationem; Paulus enim loquitur de tali uxore, ex qua Episcopus liberos suscepit; & cum domus, h. e. liberorum & familiæ diserte Paulus distinguit à gubernatione Ecclesiæ.

## §. 11.

Secundum argumentum fluit *ex Hebr. 13. v. 4.*  
*ubi honorabile dicitur matrimonium in omnibus,* sive inter quosvis, h. e. inter cujusvis ordinis homines, & thorūs immaculatus, τίμιος γάμος εν πᾶσι, ρεγῆ κόστη ἀμιαντός; ex quo loco tale formamus argumentum: Quicquid in omnibus honorabile, illud non est certo hominum generi, ad id idoneo, idemque legitimè expetenti, prohibendum. At conjugium, (*juxta Apostoli assertionem*) in omnibus est honorabile. E. illud non certo hominum generi ad id idoneo, idemque legitimè expetenti prohibendum.

## §. 12.

Hæc expressa Scripturæ oracula non exhaustit exceptio ista Pontificia, quam Jesuitæ probant, videlicet: quod professio Monastica, & Sacerdotium impedian matrimonium legitimum; sed apertè, & ex diametro dictis illis Sacrae S. contradicit, & ex propositionibus completem universalibus, quæ non cum restrictione, sed cum ampliatione accipiendæ sunt, de omnibus, (qui donum perpetuæ continentiaæ

non